

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7139

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Humbert, Maurienne (comte)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1173, février

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Traité conclu entre Henri II et Humbert, comte de Maurienne.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Stubbs William, *Gesta regis Henrici Secundi Benedicti abbatis*, the chronicle of the reigns of Henry II. and Richard I. A.D. 1169-1192, known commonly under the name of Benedict of Peterborough, Londres, Longmans, Green, Reader, and Dyer (*Rerum Britannicarum Medii Aevi Scriptores, or, Chronicles and Memorials of Great Britain and Ireland during the Middle Ages ; 49*), 1867, 2 vol., t. 1, p. 36.
- b. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (*Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France*), 1916-1927, 3 vol., n° CCCCLV, t. 2, p. 1-4.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 1-2.

Texte établi d'après b

Quoniam in dubium venit quod a memoria recedit, repertum est in rei gestæ testimonium perennis rescripti remedium. Noverit igitur tam prior ætas quam futura posteritas quod Hubertus comes Maurianensis et marchio Italiæ concedit totum comitatum suum et omnes alias terras suas, quascunque habet vel deinceps adquisierit, Johanni filio Henrici illustris regis Angliæ, cum filia sua primogenita, Aalis nomine, si filium ex uxore sua non habuerit. Si vero filium legitimum susceperit, concedit eis in perpetuum et hæredibus eorum Russillum cum toto mandato suo sive pertinentiis suis omnibus. Concedit similiter eis et hæredibus eorum Pecastel cum omnibus pertinentiis suis, et præterea totum comitatum Belicensem, sicut eum habet, illis concedit. Donat etiam illis totam vallem Novallesiæ, Camberiacum quoque cum omnibus pertinentiis suis, Aiz, Asperum Montem, Rochetam, Montem Majorem, Cameram cum burgo et toto mandato. Ista omnia cum omnibus pertinentiis suis eis incontinenti citra montes concedit in perpetuum. Ultra montes quoque illis et eorum hæredibus donat et concedit in perpetuum Taurinum totum cum omnibus pertinentiis suis, Cavoreth, Colegium cum omnibus pertinentiis suis, et omnia feuda quæ tenent de ipso comites de Canaveis, et eorum servitia et fidelitates. In comitatu quoque de Castro Amunt similiter feuda, fidelitates et servitia. In valle Augustensi concedit eis Castellionium in perpetuum contra omnes homines, quod de illo tenet vicecomes Augustæ. Hæc omnia præfatus comes concedit prædicto filio regis Angliæ in perpetuum cum filia sua prænominata, ita libere, integre et quiete in hominibus et civitatibus, castris et aliis munitionibus, in pratis, pascuis et molendinis, in bosco et plano, in aquis et vallibus et montanis et paagiis et

pasagiis, et in omnibus aliis rebus, sicut unquam pater ejus aut ipse ea melius tenuit omnia quæ subscripta (sic) sunt aut liberius. Vult etiam iamdictus comes quod incontinenti, aut quodocunque placuerit domino regi Angliæ, filio ejus fiant et præstentur hominia et fidelitates ab omnibus hominibus suis per totam terram suam, salva fidelitate sua, quamdiu terram tenebit. Præterea concedit eis et hæredibus eorum in perpetuum quicquid juris habet in toto comitatu Gratianopolitano, et quicquid in eo acquirit vel acquirere poterit. Si autem filia sua primogenita supradicta in fata concesserit, quæcunque cum primogenita concessit illustris regis Angliæ filio, cum secunda filia sua eadem, sicut scriptum est, cuncta concedit. Hanc præscriptam conventionem tenendam inter dominum regem Angliæ et comitem Maurianæ juraverunt ipse comes Maurianæ et comes Gebennæ, Rodulfus Alamannus, Nantelmus de Meolano, Sefredus de Alavarno, Rodolfus et Aimo et Emericus de Brienzion, Willelmus frater comitis, Gocellinus de Morestello, Amedeus de Nangeu, Odo de Voiron, Berlic et Pontius de Fabricis, Lodoicus de Balma, Theobaldus de Vileta, Pontius et Wifredus de Cunflens, Gwido de Teis, Amedeus de Torvun, Ysmido de Sancto Michaeli, Odmarus Labra, Joscelinus et Ricardus de Cordun, Giroudus de Margenzai, Berlio de Monte Falcone, Engwicio de Aviano, Berlio et Torencus de Chambel, Sofredus Gamerii, Hugo de Alviler, Uboldus de Rumillie, Lodoicus de Asma, Anselmus de Belentro, Willelmus Desiderius, Sofredus et Petrus de Sancto Genesio, Ungrinus de Fabricis, Willelmus de Bocozel, Angelinus de Castellano, Umberto Reinerii, Willelmus de Porta, Willelmus Ervus, Gido de Candiaco, Petrus de Arvesio, Arbertus Cornuz, Hugo de Chinis, Willelmus de Albuzin, Henricus de Fulciniaco, Willelmus de Nangeou, Emericus vicecomes de Brienceon. Omnes isti prænominati juraverunt quod comes Maurianensis hanc conventionem firmiter servabit, et si ab ea aliquo modo resiliret, juraverunt quod ad vocationem domini regis Angliæ vel nuncii ipsius, et etiam sine omni vocatione, si comes resiliret, ex quo hoc scient, reddent se obsides domino regi in terra sua, ubicunque voluerit, et tamdiu in sua captione morabuntur, donec comitem ad regis beneplacitum revocaverint, vel cum ipso rege pro voluntate ipsius composuerint. Petrus quoque Tarentasiensis archiepiscopus, et Arduio Gebennensis et Willelmus Maurianensis episcopi, et abbas Sancti Michaelis coram positis ewangeliis de mandato comitis firmiter promiserunt quod ad beneplacitum regis, et quando voluerit, personam comitis excommunicabunt, et terram suam sub interdicto ponent, si comes hanc pactionem inter eos factam non servaverit. Idem facient de personis hominum comitis et terris eorum, per quos stabit quod non servetur pactio inter regem et comitem facta ; et tamdiu comitem et eos qui pacem servare noluerint et terras eorum sub interdicto tenebunt, donec domino regi fuerit satisfactum. Dominus rex hanc fecit conventionem et concessionem præscriptam cum comite Maurianensi, et eam de mandato ipsius tenendam juraverunt: comes Willelmus de Mandevilla, Willelmus comes Arvernæ, Radulfus de Faa, Willelmus de Curci, Willelmus de Humez, Fulco Panel, Robertus de Brivecourt, Willelmus Mangat, Theobaldus Chabot, Willelmus de Munlusun, Petrus de Muncasson, Gaufredus Forestarius, [et alii plures]. De cætero sciendum est quod comes suam secundam filiam nuptui tradere poterit cui voluerit, sine nimio comitatus detrimento, postquam primogenita filia ejus filio regis fuerit desponsata, vel per legitimam ætatem vel per Romanæ ecclesiæ dispensationem. Parentibus autem suis vel aliis, et pro salute animæ suæ, poterit de terra sua dare sine multa comitatus diminutione. Incontinenti vero mittit rex comiti mille marcas argenti, et quamcito filiam comitis recipiet ad minus habebit alias mille marcas argenti, et quicquid fuerit de quinque millibus marcis residuum recipiet comes quando matrimonium inter filium regis et filiam comitis fuerit contractum per legitimam ætatem vel Romanæ ecclesiæ dispensationem. Si autem dominus rex, quod Deus avertat, ante in fata concesserit, vel extra terras suas profectus fuerit, neque ipse, neque ipsi qui de mandato suo juraverunt vel aliquam comiti securitatem fecerunt, tenebuntur de præscripta conventionem, nisi dominus rex filius regis et sui.